



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. An in eodem vivente sint plures animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

dum definitio animam esse principium effectivum operationum, &c. ejus quod habet animam.

xI. Dices secundò ex Aristotele hic Textu 2. Corpus (scilicet respectu animæ) sicut subjectum & materia est. Corpus & anima est animal, &c. ergo, &c.

xII. Respondeo Aristotelem corpus aliquando usurpare pro materia, aliquando pro composito; nam quando textu 10. explicat cujus corporis anima sit actus, ita loquitur; *Non est autem ejus quod abjicit animam*, scilicet materiæ, sed quod habet, scilicet compositi.

xIII. Dicitur tertio, *potenti à vitam habentis*, quod puto explicationis gratiā solum additum; nam corpus organicū & corpus Physicum ex anima, pro ut hoc sumitur, utpote principia vitæ in actu secundo, sufficienter indicant quid hæ particulæ exprimant.

xIV. Pro complemento adde ab allata definitione animæ, in aliorum explicatione, difficulter excludi formā cadaveris, si detur, substantialis totalis.

RESOLUTIO II.

xv. **D**ico 2º, Anima rectè etiam ab eodem Aristotele loco citato cap. 2. definitur, *Id quo primum vivimus, sentimus, loco-movemur, & intelligimus*; si ly &, ac cæteræ particulæ definitionis intelligantur disjunctivè; alioqui si collectivè & absolvi sumantur, soli animæ rationali convenit allata definitio, ut patet. Quod autem rectè, maximè patebit ex dubio sequenti. Hic tamen

Adde per hanc definitionem, nostram prioris definitionis explicationem confirmari, cum diximus per ly corpus Physicum & organicum intelligi corpus naturale constans materiā & formā, &c. nam revera nos, qui vivimus, sentimus, &c. sumus tale corpus; unde cum Aristoteles velit per hanc, priorē demonstrare, ut patet ex contextu, prioris debet ex mente ipsius esse hic sensus, *Anima est actus corporis Physici & organici pro ut nos sumus*, pro quo huc usq; contendimus.

RESOLUTIO III.

xvi. **D**ico 3º, Anima rectè dividitur in locomotivam & vegetativam, in vegetativam non sensitivam, sensitivam non rationalem, & rationalem. Hanc divisionem omnes Aristotelis interpretes, Augustinus & plures alii SS. Patres admittunt; quam nonnulli probant ex plantis, brutis, & hominibus; e quibus, inquirunt, experimur plantas esse vegetativas non sensitivas, bruta sensitiva nō rationalia, &c. sed malim ab hac probatione abstinere; quia non experimur, primò cur potius conchæ sint sensitivæ, ut communiter admittitur, quàm plantæ & arbores; quia semper fixæ adhærēt lapidi seu coelæ; nec aliter, quàm ad illius motū movetur: si verò dicantur appetere aquā appetitu sensitivo, id ipsum non experimur, & difficulter probabitur potius in conchis, quàm plantis & arboribus respectu terræ; dici enim poterit eodem appetitu plantas & arbores terram appetere, quo conchæ aquam, easque habere quædam sensationum organa nobis occulta, non secus ac conchas. Non experimur secundò cur potius homines sint rationales & discursivi, quàm canes & simiæ; non enim magis, quantum experimur, homo discursit & ratiocinatur, quàm canes & simiæ, licet homo perfectius, & eā distinctione discursus, quæ est inter idiotam hominem & virum doctum; sicut enim dicit homo, *Petrus est albus*, ergo est coloratus; ita canis sequens herum bolum panis offerentem dicit, *sequar, ergo habebō*; & similiter simia quærens in capite Domini sui pediculos,

dicit, *inveniam*, ergo manducabo.

Dixi non experimur; quia contra id quod plantæ & arbores sint sensitivæ, nimium clara est Augustini auctoritas lib. 2. de moribus Manichæorum, ubi ridet Manichæos, quod vellent arbores esse sensitivas, inquirens, *Non sit nobis cultus illius vitæ, quæ dicuntur arbores vivere, quoniam nullus sensus in illa est*. Idem dic de auctoritate Scripturæ, contra id quod bruta sint rationalia; *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus*: Psal. 33. Vnde bruta dicuntur ex inclinatione naturali operari ad bonum conjunctum, non verò ex cognitione boni ut sibi boni, ut homines operantur, quod tamē examinabimus infra.

DUBIUM II.

An in eodem vivente sint plures anime?

Ante Resolutionem hujus solemnis Dubii, xvii. Suppono ex Concilio Viennensi sub Martino V. & Lateranensi sess. 8. contra Averroem, in omnibus hominibus, non tantum esse unam animam & intellectum, sed in singulis singularem, ex quibus aliquæ damnandæ, aliquæ beatandæ; quod & experientia docet: experimur enim homines diversa sapere & intelligere; non verò omnes idem eodem modo, & eodem tempore, quod contingere deberet.

xviii. Adde alioqui futurum ut simul sit in eadem anima assensus & dissensus, amor & odium circa idem objectum & motivum, quod aperte repugnat.

xix. Suppono 2º, ex dictis in Logica Tract. 2. Dub. 7. Resol. 2. erroneam esse sententiam Platonis, Galeni, Ferneli, Philipponi, Ockami & Thomæ Bricoti è Nominalibus; è Scholasticis verò Francisci Mayronii, qui in eodem homine pluralitatem animarum adstruunt; ita Toletus, Hervæus, Rubius, & alii. Dicit quidem D. Fromondus de Anima lib. 1. cap. 5. art. 2. post Cavellum & quosdam alios, sententiam istam nimis gravi censurâ videri notari; videtur quippe, inquit, S. Synodus duas Manichæorum rationales animas, quarum una à principio bono, altera à malo descendat, tantum voluisse damnare. At quippe Synodus, *Vetus & novum Testamentum, omnesque Patres asseverare, hominem unam animam rationalem habere*. Quod profecto de Patribus adversus Manichæos disputantibus dici videtur. Nam de anima merè sensitiva, an sit alia in homine præter rationalem, parum videntur curasse Patres, nec Vetus & Novum Testamentum, tam aperte de re ista loquuntur. Sed (salvo meliori judicio) motivum istud D. Fromondi non est verosimile; quia præcipuus Manichæorum error erat, quod facerent unam animam naturā suā malam, aliam naturā suā bonam, in quod Patres maximè invehuntur, & in pluralitatē animarū quā talē, vix aut nihil, ut videre est apud Aug. lib. de duabus animabus, nominatim cap. 13. unde quod supra dictum puto de Patribus, qui animæ spiritualitatem & immortalitatem ex veteri & novo Testamento adstruunt; talis autem non est anima sensitiva à rationali realiter distincta. Vnde fit quod Sacra Concilia & Sancti Patres duas tantum partes humanitatis Christi assignent, puta corpus & spiritum, ut constat ex Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. & in Clement. unica de Sanctissima Trinitate: Item Symbolo S. Athanasii: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo*. Vnde elegantissimè D. Thomas q. de Spirit. Creat. art. 3. in homine non est alia forma substantialis, quàm anima rationalis, &c. His suppositis, fit

RE.

RESOLUTIO I.

xx. **D**ico 1^o, sistendo in auctoritate octavæ Synodi generalis in Porphyrio à nobis citatæ, Augustini, Damasceni, S. Thomæ & aliorum Sanctorum Patrum & Scholasticorum, in homine non dantur plures animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis, realiter distinctæ, vide Augustinum lib. 10. super Genesim ad litteram cap. 14. & in Ecclesiasticis dogmatibus cap. 15. S. Thomam 1. contra Gentes cap. 18. Damascenum lib. de fide & Symbolo cap. 12.

RESOLUTIO II.

xxi. **D**ico 2^o, præcisè sistendo in sola ratione naturali non videtur probari posse efficaciter, in homine unicam esse animam & non tres realiter distinctas.

xxii. Probat, in plantis, brutis, & hominibus non est unica, sed tres animæ realiter distinctæ (ut fatentur omnes:) quia plantæ quantum experimur non habent operationes brutales, nec bruta operationes humanas, nec homines operationes brutales & plantarum tantum, sed simul rationales: Atqui homo quantum experiuntur Doctores Medici in initio habet operationes plantarum & non brutales, postea brutales & non humanas, deinde rationales, brutales & plantarum simul: Ergo in homine non est unica, sed tres animæ realiter distinctæ. Probat consequentia; quia in initio fuit in homine sola anima vegetativa, postea sensitiva tantum, deinde rationalis tantum; Ergo, &c.

xxiii. Respondebunt Thomistæ 1^o: hominis animam in initio vegetare ut plantas, & non sentire ut bruta; postea sentire ut bruta & non ratiocinari ut homines; denique ratiocinari, sentire & vegetare; verumtamen in homine non esse tres animas realiter distinctas, sed unicam; quia ad introductionem animæ sensitivæ, ut docet S. Thomas 1. parte quæst. 112. art. 2. ad secundum, destruitur vegetativa, & hæc similiter ad introductionem animæ rationalis; unde unica rationalis manet. Sed

xxiv. Contra, peto mihi ratione naturali probari animam sensitivam, quæ vegetativam sequitur, simul esse vegetativam & sensitivam realiter, & non sensitivam tantum: Item animam rationalem, quæ sensitivam sequitur esse rationalem, sensitivam, & vegetativam simul, & non rationalem tantum; quod non probatur.

xxv. Probabis ex P. Pontio de Anima Disp. 7. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi in homine plures animas, nec est ratio cur una & eadem anima non possit esse in homine principium vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: Ergo, &c. Sed

xxvi. Contra 1^o, isti axiomati (ut ostendi lib. 1. Phyc.) hoc è Diametro opponitur: Non sunt minuenda entia sine necessitate: Si enim dicas esse necessitatem non multiplicandi animas in homine, eò quod una sufficiat; dicam necessitatem in plantis, bruto, & homine minuendi animas esse, eò quod una sufficiat existens in pluribus materiis plantarum, bruti, & hominis, sicut existit in homine. Nec obstat potest quod anima in homine informet materiam heterogeneam in esse materiæ continuam, non verò in plantis, bruto, & homine; quia verisimilius puto totam materiam universi esse continuam, ut constat ex Disp. de Continuo: hinc si minuas & unam tantum ponas in homine; minuas

& ego ut unam tantum ponam in plantis, bruto, & homine.

xxvii. Contra 2^o, Necessitatem attuli, scilicet, quod sicut in homine, & bruto, & plantis, sunt tres animæ realiter distinctæ, quia in plantis non sunt operationes brutales, in brutis operationes humanæ, & in homine operationes humanæ tantum, sed simul brutales & plantarum; ita in homine debeant esse similiter tres animæ realiter distinctæ, quia in initio sunt operationes plantarum & non brutales, postea brutales & non hominum, deinde hominum & simul brutorum & plantarum; nec ratione naturali probari potest, animam rationalem, quæ sensitivam sequitur, esse rationalem, sensitivam & vegetativam, & non rationalem tantum.

xxviii. Respondebis ex Alberto Magno in summa de homine (quem sequuntur Oviedus, Ponticius, Mursia, &c.) in homine ab initio animam rationalem infundi in materiam feminis; ita tamen ut habeat prius operationes plantarum tantum, sive vegetationem, postea bruti tantum, sive sensationem; denique hominis, bruti, & plantæ. Sed

xxix. Contra, si, ut minuas animas in homine, dicas in femine infundi animam rationalem, quæ in femine habeat operationes plantarum tantum; dicam ut minuas in homine, bruto, & plantis, animas, in plantis infundi animam rationalem, quæ in illis habeat operationes plantarum tantum, in brutis bruti tantum, in homine, hominis, bruti, & plantæ.

xxx. Instabis & dices ex hac retorisione multa absurda sequi: 1^o plantam fore hominem. 2^o plantam habere animam infusam, & idem est de brutis. 3^o eandem animam esse in locis adæquatis diffusissimis, ut plantæ & bruta; vel saltem in diffusissimis non informando medium: Ergo, &c. Sed

xxxi. Contra primum est, quod secundum te, vel semen animæ rationali informatum, sit homo, vel non? Si primum, (præterquam quod sit contra omnem sensum, quia abortus non organizatus non baptizatur, quia non est homo) quidni idem dixerò de plantis, quæ præcisè vegetant ut semen illud? Si secundum, similiter dicam plantam non fore hominem.

xxxii. Contra secundum est, quod si semen secundum te (ex quo sæpè gignitur brutum & substantia aliqua inanimata, unde ob eandem rationem planta gigni posset) habeat animam infusam, quidni & planta aut brutum?

xxxiii. Nec obstat quod semen in omnium sententia ordinetur ad generationem hominis, quia plantæ, & bruta pleraque, etiam ordinantur ad agenerationem hominis, sive nutritionem, quæ est quædam generatio.

xxxiv. Contra tertium est, quia si, ut vites entium multiplicationem, sive ut entia minuas, liceat tibi admittere unam animam rationalem sensitivam & vegetativam simul, sive unam tribus illis æquivalentem; licebit & mihi, ut vitem entium multiplicationem, admittere unam existentem in locis adæquatis diffusissimis, sive æquivalentem pluribus locis adæquatis diffusissimis; ratio enim non probat majorem repugnantiam esse in uno, quam in alio.

xxxv. Adde, quod brevius est, & clarius, præcisè sistendo in ratione naturali, omnino negari debere in femine infundi animam rationalem; tum quia alioqui semē esset homo, contra commune sensum, ut dixi; tum quia forma ex operationibus dignoscitur; forma autē in femine ut summū habet operatio-

nes animæ sensitivæ, ergo in eo non est nisi anima sensitiva.

xxxvi. Nec dicas 1^o, in semine deberi infundi animam rationalem, ne alioqui illâ adveniente, sensitiva & vegetativa debeant sine contrario perire, aut simul cum anima rationali sensitiva & vegetativa simul superflue permanere; quia attendere debet nos hic contendere non videri ratione naturali probari efficaciter posse animam rationalem esse rationalem, sensitivam & vegetativam simul, sed esse tantum rationalem; ac proinde sistendo in sola ratione naturali non videri posse efficaciter probari esse unicam animam in homine; sed tres admitti posse.

xxxvii. Nec dicas 2^o, quod si forma ex operationibus dignoscatur, fore ut in puero recens nato non sit anima rationalis, quia non habet operationes animæ rationalis; id enim falsum est; quia admirari est operatio animæ rationali propria, pueri autem recens nati habent admirationes imperfectas, ut clarè cognoscitur ex frequenti ipsorum risu.

xxxviii. Respondebis 3^o, ex Poncio, sicut paulatim introducuntur dispositiones ad animam, ita paulatim expelluntur; ergo si in homine essent tres animæ, in illa successiva destructione dispositionis perveniri deberet ad gradum talem, qui esset incompatibilis cum anima rationali, & sufficiens ad sensitivam, & rursus perveniretur ad incompatibilem cum sensitiva, & sufficientem ad vegetativam; non secus ac in prima productione perveniri debet prius ad gradum sufficientem pro vegetativa & insufficientem pro sensitiva, & sic consequenter: Sed hoc est falsum; ergo, &c. Quia aliàs quando moreretur homo, produceretur sensitiva, & quando destrueretur compositum ex sensitiva, produceretur vegetativa, quod est contra omnem sensum & experientiam; ergo, &c. Sed

xxxix. Contra; admissio assumpto, Respondeo negando minorem, ad ejus probationem, Respondeo quando moritur homo animam sensitivam non produci, sed antea in homine existentem remanere; cuius signum (sistendo in sola ratione, si illam animæ loco-motivæ identifies, alioqui hæc remanebit) dicam esse membrorum contorsionem, nervorum contractionem, &c. Item quando destruitur compositum ex anima sensitiva in homine, non produceretur anima vegetativa, sed quæ ante in homine existit, remanebit, cuius signum (sistendo in sola ratione) dicemus esse post mortem pilorum vegetationem.

xl. Quod autem nonnulli^o, respondeant pilos illos post mortem non vegetare, sed per juxta-positionem crescere, aut certe, non crescere, sed longiores apparere, eò quod cute magis ossibus compressa, crines & capilli non nisi extracutem protendantur; mihi non probatur.

xli. Quod verò alii 2^o, respondeant membrorum contorsionem, nervorum contractionem post mortem hominis, esse à spiritibus in corpore hominis inclusis, mihi (sistendo præcisè in sola ratione naturali) verisimile non est; quia, cum illæ loco-motiones sint actiones vitales, tales in mortuo, quales in infirmo vivente, debent esse ab aliqua anima & vivente, cuius proprium est corpus loco-movere: unde præcisè sistendo in ratione naturali, tum in bobus post excoriationem, tum in homine post mortem, quamdiu durant illi motus, dici posset, remanere animam sensitivam dictam, immediate in-

dividuam sub anima sensitiva in genere, & tunc solum perisse animam rationalem & irracionalem, ut ab illa condistinctam; in arboribus verò post intercessionem vegetativam partialem, quamdiu ramulos repullulant, remanere.

xl. Obijcies contra nostram Resolutionem, sistendo præcisè in sola ratione naturali in homine sint tres animæ, vegetativa, sensitiva, & rationalis; homo erit planta per vegetativam, brutum per sensitivam, homo per rationalem; sed hæc sunt contra omnem rationem: Ergo, &c.

xl. Respondeo negando sequelam, hinc quidem sequitur hominem fore hominem, quia habebit animam rationalem homini propriam, non sequitur tamen fore plantam & brutum; quia licet sit habiturus animam vegetativam & sensitivam, non est tamen habiturus animam plantæ & bruti; quia anima plantæ supra vegetativitatem, dicit non sensitivitatem positivam; & anima bruti supra sensitivitatem dicit non rationalitatem positivam, ut omnes fateri debent; anima autem vegetativa hominis erit genus immediate individuatum à parte rei sub anima vegetativa in genere, ac proinde non erit nisi negativè non sensitiva: idem dic proportionaliter de anima sensitiva in homine, unde clarè patet hominem non fore plantam & brutum, fore tamen hominem.

RESOLUTIO III.

xliv. Dico 3^o, etià sistendo in ratione purè naturali omnino efficaciter probari potest de facto in homine dari unicam animam, quæ simul sit vegetativa, sensitiva & rationalis. Probatur, ut jam sæpius similes fidei veritates à ratione purè naturali efficaciter probavimus: sicut per te (argumentum est ad hominem contra Resolutionem 2^{am}) sistendo in ratione purè naturali non videtur efficaciter probari posse in homine de facto dari unicam animam, quæ simul sit, &c. ita in eadem ratione purè naturali sistendo efficaciter probari non potest, animam hominis, quæ per te est triplex, non esse de facto unicam illis tribus æquivalentem; ac proinde sistendo in ratione purè naturali, si non certum, ut minus dubium est, an anima hominis sit unica, an triplex: atqui in dubiis iudicium commune est præferendum privato, nisi quidpiam aliunde obstat; sicut in dubiis bonum commune est præferendum privato: ergo, &c. assumptum est mihi efficacissimum; consequentia patet, quia ratio illa est purè naturalis, & iudicium commune est; quod anima hominis de facto sit unica.

RESOLUTIO IV.

xlv. Dico 4^o, sistendo in Octava Synodi citatæ, SS. Patrum & modernorum Scholasticorum, auctoritate de unitate animæ rationalis in homine, sensitivæ & vegetativæ formaliter, aut virtualiter, (quod ad nomen spectat, cum sit & formale & virtuale principium ratiocinationis, sensationis & vegetationis:) In formatione foetus hominis non succedunt sibi plures animæ, sic scilicet ut foetum primò informet anima vegetativa, 2^o sensitiva, ad cuius præsentiam desinat vegetativa, demum rationalis, ad cuius præsentiam desinat sensitiva. Est contra Thomistam, Mursum, Fromondum, Rubium & Medicos communiter.

xlvi. Probatur primò sicut semen vi & motione parentum conformatur, & ad animam vegetativam

tativam organizatur, ita eadem motione, organizatur ad sensitivam & rationalem: sed hoc dato omnino superflua est animarum successio: ergo, &c. Minor patet. Major probata est lib. 2. Phys. Disp. 6. Dub. 20. Consequentia tenet à pari; si enim pro conformatione & organizatione ad animam vegetativam, imò & pro anima vegetativa producenda anima necessaria non sit, & habeatur ab illa motione, semine, &c. cur necessaria erit pro conformatione & organizatione ad animam sensitivam, & similiter non habeatur ab illa motione, semine, &c. & sic etiam est de conformatione & organizatione ad animam rationalem.

XLVII. Probatur 2^o, si in formatione foetus hominis succederent plures animæ (præterquam quod in sententia non admittente genus immediatè individuum à parte rei, homo fuisset ante plantam & brutum, quia ordinari, & non ordinari ad perfectiorem formam, non diversificat animas inter se; alioqui calor dispositio ad generationem hominis esset perfectior calore dispositione ad formam muris, quod non admittitur; deinde etiam animæ, herbe & bruti in nutritione ordinantur ad animam hominis) etiam simul manerent; Sed hoc est absurdum: Ergo, &c. Probatur sequela, quia nec vegetativa sensitivæ, nec dispositiones vegetativæ dispositionibus sensitivæ; nec sensitiva rationali, nec dispositiones sensitivæ, dispositionibus rationalis contrariantur; sed illæ ab his perficiuntur, & in his includuntur: Ergo, &c.

Respondent Thomistæ & plures alii, animam vegetativam ad præsentiam sensitivæ, & sensitivam ad præsentiam rationalis, sive positis dispositionibus ad succedentem, naturaliter interire; quia naturaliter ordinantur ad illas formas succedentes, in quarum præsentia sunt superflue. Sed

XLVIII. Contra, præterquam quod gratis singatur animas illas esse talis naturæ, ut ad præsentiam perfectioris connaturaliter desinant, quandoquidem illæ & hæc habeant dispositiones omnino compatibles, & secundum nos, non solum formæ substantiales subordinatæ, sed & totales possunt naturaliter simul in eodem subiecto consistere; gratias etiam supponitur illas in præsentia perfectioris fore superfluas; quia cum post desitionem perfectioris in corpore, experimur operationes proprias imperfectiorum animarum (ut constat ex dictis de contorsione corporis, & nervorum contractione) in præsentia perfectioris semper erunt utiles ad hoc, ut post illius desitionem tales motus principient.

XLIX. Confirmatur, prima informatio materiæ, quam informat anima rationalis, non requirit materiam prius fuisse informatam animæ vegetativæ & sensitivæ ad rationalem per se ordinatis, ut patet in nutritione & aggeneratione hominis: Ergo in formatione foetus hominis, non succedunt plures animæ, &c.

L. Objicies 1^o, anima rationalis infunditur ante, vel postquam vegetet embryo aut foetus; si post, clarè sequitur animam vegetativam præcessisse; si ante, ergo est infusa secundo aut tertio die, ut vult Fienus, vel saltem ante decimum quintum; quia, ut ille idem lib. de formatione foetus docet, foetus die circiter 10^o. est instar grani hordei, die 20^o. instar apis, aut muscæ majoris, 40^o. instar parvi digiti: non ante decimum quintum, & multò minus 2^o. aut 3^o. die; quia ut patet, propter exiguitatem suam necdum potest esse organizatus; non est autem homo

ante organizationem, qualis esset si haberet animam infusam; quod autem non sit homo ante organizationem, constat ex communi sensu Ecclesiæ, non baptizantis foetus abortivum non organizatum, partus monstruosos, &c. Item non habentis pro homicidis & irregularibus feminas abortum procurantes ante certum spatium plurium dierum à conceptione; Ergo, &c.

LI. Respondeo animam rationalem infundi postquam foetus vegetat: infunditur enim post perfectam seminis commixtionem, fermentationem & membrificationem imperfectam, secundum omnia membra corpori perfecto hominis congruentia: quo autem die id contingat, non satis convenit inter Doctores Medicos: quia imprimis Fienus vult omnia membra simul produci, docens se non semel tenellos embriones magnitudine nuclei olivæ vidisse, in quibus partes omnes ut gingivæ, os, lingua, nares, oculi, &c. erant exactè conformatæ; contra Fernelius primum formari hepato cum venulis, postea cor, cerebrum, & nervos, deinde cætera organa: communius tamen docent medici circa 40. diem infundi, in viris quidem citius, in feminis tardius: antequam autem sit infusa anima rationalis non præcessit anima vegetativa, quæ maneat aut desinat accedente aliâ animâ, sed toto illo tempore vegetat & organizatur foetus, partim à virtute seminali conformatrice, partim à vi, sive motionibus parentum illis permanenter intrinsecis, juxta dicta 1. 2^o. Physic. Disp. 6^o. Dub. 2^o. ex quibus clarè habes, quid ad objectionem responderi debeat, & quod valde incertum sit, an sint prius dispositiones, sive membra necessaria, ad vegetationem, quàm ad sensationem & animam sensitivam; prius ad sensationem & animam sensitivam, quàm ad rationalem.

LII. Objicies 2^o, Aristotelis auctoritatem, qui 2^o. de Generatione animalium cap. 3. docet hominem primò vitâ plantæ, postea vitâ animalis, demum vitâ hominis vivere; item conceptum esse inanimatum neminem statueri debere; denique non simul fieri, & animal, & hominem: Ergo, &c.

LIII. Confirmatur ex D. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 89. Anima igitur vegetabilis, quæ 1^o inest, cum embryo vivit vitâ plantæ, corrumpitur, & succedit anima perfectior, quæ est nutritiva, & sensitiva simul, & tunc embryo vivit vitâ animalis: hæc autem corrupta succedit anima rationalis ab extrinseco immissa, licet præcedentes fuerint virtute seminis. Idem ferè habet 1. p. q. 118. art. 2. in corpore.

LIV. Respondeo ista non intelligi de anima in actu primo, sed de anima in actu secundo, sive de actu vitali: prius enim habet foetus actus vitales vegetationis, quàm sensationis; prius sensationis, quàm ratiocinationis: alioqui, sicut gradatio animarum servaretur in ascensu, sic, ut 1^o foetus esset animæ vegetativæ tantum animatus, 2^o sensitivæ & vegetativæ non rationali, &c. servari proportionaliter deberet in descensu, sic ut 1^o anima rationalis abscederet, deinde sensitiva tantum, postmodum vegetativa tantum, unde in homine esse deberent plures animæ, quod supra rejectum est ut erroneum; si verò dicas in descensu gradationem solum esse quoad operationes, idem dic à pari quoad ascensum, præsertim, cum in ascensu anima vegetativa, aut sensitiva, esse non possit à semine ut agente principali quo, ut probatum est lib. 2. Physic. Disp. 6. Dub. 2. Resol. 3.

Ad Confirmationem

F f 3

Respon-

LV. Respondeo D. Thomam ibi non loqui absolute, sed ex hypothesi veritatis huius principii, *Opera vite non possunt esse à principio extrinseco, sicut sentire, nutrirī & augeri*; communiter recepti, ut consideranti patebit principium 2ⁱ. art. citati in corpore; illud autem principium refellemus infra.

Q V Æ S T I V N C V L A.

LVI. **P** Etes à qua causa fiat contorsio membrorum, & contractio nervorum, post mortem hominis?

LVII. Respondeo fieri ab anima hominis recedente, per motum post ipsam perseverantem, pro

quo vide lib. 2. Physicor. ubi ostendimus causam agere, quando non est; vel si tibi id mirum videatur, dic ibi animam loco-motivā produci, partim à dispositionibus ad illam sufficientibus remanentibus, partim ab illis causis à quibus produci diximus animas ranarū & murium ex putri materia, & paulò post expulsas ad eam dispositionibus cessare. Idem dic de anima vegetativa existente in pilis hominis post mortem: unde mors non est privatio omnis vitæ, sed vitæ in actu primo, à qua quidpiam principaliter est tale, ut est anima rationalis in homine, irrationalis in bruto, anima non sensitiva positiva in plantis, &c.

DISPUTATIO SECUNDA

De Anima in Ordine ad Subjectum.

I. **C** onstat omnibus animam esse formam informantem corpus organicum, & non assistentem tantum instar navis, aut angeli Cælis, quos moveat. Id enim definitur in Concilio Viennensi *de Summa Trinitate ac fide Catholica*, & Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. sed dubium est, quid per *corpus organicum* intelligi debeat, an materia affecta variis accidentibus? an materia affecta formis partialibus substantialibus, carnis, ossis, nervi, &c. Pro quo, fit

D V B I V M I.

An præter animam in viventibus sensitivis dantur formæ partiales Substantiales.

II. **C** irca hoc dubium, in duas sententias divisi sunt auctores; aliqui negant formas illas substantiales, & dicunt corpus organicum nihil aliud esse, quam materiam primam instructam his, vel illis accidentibus, puta duritie, mollietate, &c. unde consequenter volunt partes corporis viventis esse substantialiter homogeneas, & non nisi accidentaliter heterogeneas: alii dicunt & affirmant corpus organicum esse materiam primam instructam diversis formis substantialibus partialibus formæ totali viventium subordinatis. Pro quo, fit

R E S O L U T I O.

III. **D** ico præter animam, in viventibus sensitivis, non dantur formæ substantiales partiales.

IV. Probatur 1^o, auctoritate D. Thomæ 1. p. q. 6. art. 4^o. *Dicendum est, quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva. Et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam & nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in aliis faciunt.* Ergo, &c.

V. Probatur 2^o, quia alioqui omnes formæ totales substantiales inanimatorum, ut arborum, ac plantarum, essent superflue; nullæ homogeneæ & simplices; sed omnes heterogeneæ, essentialiter compositæ ex partialibus correspondentibus heterogeneitati & compositioni suarum dispositionum: si enim in brutis, & in homine, dispositionibus heterogeneis & compositis correspondeant formæ substantiales partiales heterogeneæ, & una per aggre-

gatione conflata ex illis, quæ sit forma corporis organici, quidni in plantis & aliis corporeis inanimatis dabuntur formæ partiales substantiales dispositionibus heterogeneis & compositis correspondentibus & una per aggregationem conflata ex illis? quo casu totales sunt superflue, ergo, &c. Probatur minor, quia sic non essent ens per se substantiale totale ut consideranti patebit, ergo, &c.

VI. Confirmatur 1^o, dantur formæ substantiales totales aptæ informare subjectum accidentaliter heterogeneum; ergo omnino superflue sunt formæ partiales substantiales. Antecedens patet, quia tales sunt formæ plantarum & inanimatorum &c. ut fiunt adversarii. Probatur consequentia, illæ formæ substantiales totales facile præstarent, quod illæ partiales præstarent; ergo, &c.

VII. Confirmatur 2^o, nulla ratio videtur efficaciter suadere dari formas substantiales totales, ut patet ex lib. 1^o. Physicor. Disput. 3. Dub. 1^o. ergo multò minus aliqua ratio suadet dari partiales, ut solutione argumentorum patebit.

VIII. Obicies 1^o, Rejectis formis partialibus ægrè explicatur, quidnam sit corpus, quod ponitur vi verborum in Eucharistiæ Sacramento; quia cum juxta Concilia & SS. Patres corpus Christi, ibi ponatur per transubstantiationem, in esse corporis debet esse substantia. 2^o Quid sit corpus, quod est subjectum animæ; vel enim illud est materia prima sola? & hoc dici non potest; quia alioqui æque constaret corpore ac homini; vel est materia instructa diversis accidentibus? & hoc etiam dici non potest; quia alioqui, cum corpus sit de essentia hominis, illa accidentia essent etiam de essentia hominis. 3^o, quid sit cadaver. 4^o, quare potius lapis constituitur per formam substantialem, quam os, caro, &c.

IX. Respondeo ad primum, quod vi verborum in Eucharistia ponitur, esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus, eo tamen non obstante, ibi poni per transubstantiationem; quia materia, quæ est nobilior pars corporis, est substantia: à nobiliori autem parte, conversio ibi dicitur transubstantiatio; quia à nobiliori parte sumitur denominatio. Hinc ad secundum

X. Respondeo corpus quod est subjectum animæ esse materiam primam instructam variis accidentibus organizantibus; hæc tamen accidentia non esse de essentia hominis; quia, cum dicitur ho-